



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXVII. Poëtas esse mendaces.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

POETAS ESSE MENDACES. 239

SEXTUM, *Tempus*, quòd in ipsa mortis hora, cum Susanna jam condemnata ad supplicium duceretur, hoc in eam beneficium collocarit. *Doce* quantum sit jam morituro vitam insperatam donare.

In EPILOGO hortaberis omnes, ut quàm diligentissimè in omni virtutum genere Danielis vestigia sequi studeant.

LXVII, POETAS ESSE MENDACES.

EXORDIUM à similitudine. Quemadmodum Syrenes cantus suavitate homines deceptos olim pertrahebant ad perniciem: ita Poëta per suam Poësin, verborum lenociniis distinctam, ceu colorum varietate pictam, mendacium in animos mortalium instillant, & veritatem nequiter persundant.

CONFISMA I. ARGUMENTVM, à Notatione, PRIMÒ, Quid aliud mendacium, quam contra mentem itio? At contra mentem it, qui aliud dicit, ac sentit. Hoc autem Poëta faciunt. Homerus, Virgilius, Ovidius multa protulerunt, quæ minimè ita se habere sentiebant, judicabantue. *Hic aliquas fabulas commemora, & doce*, neminem sana mente arbitrari eas vel tantillum veritatis continere, imò ne ipsos quidem qui finxere. SECUNDÒ, Quid notat aliud Poëta, quàm fictor? Quis fingit? Nonne qui esse aut fore illa affirmat, quæ nec sunt, nec erunt? Quod qui facit, non congruenter veritati facit.

II. ARGUMENTUM à definitione. Mendacium est orationis vanitas, & affirmatio fumosa, qua ea dicuntur esse aut fuisse, quæ non sunt, nec fuerunt. Quis verò unquàm credat ea, quæ Poëta fabulantur? Orphei videlicet cætu nemora fetasq; omnes unum in locum confluisse? Nemo certè, nisi qui arboribus auditum & pedes esse certo sibi persuaserit. Quis credat quod Amphion suavitate versuum saxa excitat;

240 POETAS NON ESSE MENDACES.

citavit, & impulerit quo vellet? Nullus profecto, nisi qui lapides sentire arbitratur. *Hic converte orationem ad rerum naturalium venatores, & naturæ investigatores, & quare ab illis an cum veritate habeat commercium si quis putet saxa sensu vigere.*
III. *Ab auctoritate, PRIMÒ Platonis, qui monuit, ne quis Poëtam sibi faceret inimicum. Cur ita verò? quia, ut ait Horat. genus irritabile vatum, & quia Poëta falsissima eructat, clarè obstitit, & omnem bilem chartis illinit. SECUNDÒ Proverbij, quod usurpat Aristoteles in Metaph. Poëtas multa mentiri, quod ipse Horat, confirmavit verum esse cum cecinit.*

—— *Pictoribus atque Poëtis*

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Hunc locum *amplificaturus digredieris* in laudem Proverbiorum, *dicesque*; quod Proverbij tota ferme priscorum Philosophia continebatur, proinde columnis ac marmoribus passim insculpta videbantur, tanquam veritatem exprimerent, & memoria immortali digna essent.

In PERORATIONE monebis studiosos, ne artē hanc mentiendi discant.

LXVIII. POETARVM A MENDACII ignominia defensio, quòd Poësis non sit mendaciorum cento, sed veritatis inuolucrum.

IN EXORDIO *inveheris in mendacium*, quippe quòd maxima importet generi humano damna, quo vitio si se conraminarent Poëtæ, ut ii ex hominum societate exterminarentur auctor esses, & adiutor: verum cum eos mentiri minimè sit verum, ab ea ignominia ipsos te defensurum significabis, adversarii que dictis responsurum.

I. *Dixit eos mentiri, qui fingunt, & fingendo ampli-*

Vide Celsi